

PONTIFICALE  
ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI  
ŒCUMENICI CONCILII  
VATICANI II INSTAURATUM  
AUCTORITATE PAULI PP. VI  
PROMULGATUM

DE ORDINATIONE  
DIACONI, PRESBYTERI ET EPISCOPI

EDITIO TYPICA

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS MCMLXVIII



## SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. n. R 19/967

### DECRETUM

Per Constitutionem Apostolicam «Pontificalis Romani recognitio», die 18 mensis iunii anno 1968 datam, Summus Pontifex Paulus VI novum ritum pro collatione sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus, a Consilio ad exsequendam Constitutionem de S. Liturgia, peritis adhibitis et Episcopis diversarum orbis regionum consultis, recognitum, approbavit, ut posthac, pro ritu in Pontificali Romano exstante, usurpetur in his Ordinibus conferendis.

Pars igitur Pontificalis Romani, novos hos ritus pro collatione sacrorum Ordinum Diaconatus, Presbyteratus et Episcopatus continens, praesenti Decreto ab hac Sacra Rituum Congregatione, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice PAULO PP. VI tributarum, evulgatur et uti typica declaratur.

Statuitur insuper ut, usque ad diem 6 mensis aprilis proximi anni 1969, hoc est ad Dominicam Resurrectionis D. N. I. C., aut hi novi ritus, aut ii qui nunc in Pontificali Romano sunt, usurpari ad arbitrium possint ; ab eo autem die hi novi dumtaxat ritus adhibeantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Romæ, die 15 Augusti 1968, in festo Assumptionis B. Mariæ Virginis.

BENNO Card. GUT  
Præfectus S. Congr. Rituum  
et « Consilii » Præses

✠FERDINANDUS ANTONELLI  
Archiep. tit. Idicensis  
S. C. R. a Secretis

# DE ORDINATIONE EPISCOPI pluribus simul conferenda

## Prænotanda

1. Ordinatio Episcoporum fiat cum fidelium quam maxima frequentia die dominico vel festo, nisi rationes pastorales alium diem, ex. gr. festum Apostolorum, suadeant.
2. Episcopus Consecrator principalis debet saltem alios duos Episcopos consecrantes adhibere ; sed decet ut omnes Episcopi præsentés una cum Consecratore principali Electos ordinent.
3. Singulis Electis assistant duo Presbyteri.
4. Valde convenit, ut omnes Episcopi consecrantes necnon Presbyteri Electis assistentes cum Consecratore principali et cum Electis Missam concelebrent. Si ordinatio fit in ecclesia propria alicuius Electi, etiam aliqui Presbyteri eius Presbyterii concelebrent.
5. Si ordinatio fit in ecclesia propria alicuius Electi, Consecrator principalis Episcopum modo ordinatum invitare potest ut præsideat concelebrationi in liturgia eucharistica. Secus Consecrator principalis præsidet concelebrationi ; Episcopi vero modo ordinati primum locum tenent inter ceteros concelebrentes.
6. Consecrator principalis necnon Episcopi et Presbyteri concelebrentes sacras vestes induunt quæ ad Missæ celebrationem requiruntur. Electi induunt omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam. Episcopi autem consecrantes, qui non concelebrant, sumunt rochetum, amictum, crucem pectoralem, stolam, pluviale et mitram. Presbyteri Electis assistentes, si non concelebrant, induunt pluviale.
7. Benedictio anuli, baculi pastoralis et mitræ, tempore opportuno, ante ipsam ordinationem, de more peragitur.
8. Præter ea quæ ad Missæ pontificalis concelebrationem necessaria sunt, parentur : a) Pontificale Romanum ; b) libelli orationis Consecrationis pro Episcopis consecrantibus ; c) gremiale linteum ; d) sanctum chrisma ; e) anulus, baculus pastoralis et mitra pro Electis.
9. Sedes pro Consecratore principali, Episcopis consecrantibus, Electis, Presbyteris concelebrantibus parentur hoc modo :
  - a) In liturgia verbi Consecrator principalis sedeat in cathedra ; Episcopi autem consecrantes iuxta cathedram ; Electi vero inter Presbyteros sibi assistentes, loco aptiore in presbyterio.
  - b) Ordinatio Electorum fiat de more ad cathedram ; si autem propter participationem fidelium opus est, parentur sedes pro Consecratore principali et Episcopis consecrantibus ante altare vel alio opportuniore loco ; sedes autem pro Electis et Presbyteris eis assistentibus sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.

## De liturgia verbi

10. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Subdiaconum librum Evangeliorum deferentem sequuntur Presbyteri concelebrentes, deinde singuli Electi inter Presbyteros sibi assistentes, postea Episcopi consecrantes ac denique Episcopus Consecrator principalis medius inter duos Diaconos.
  11. Liturgia verbi peragitur ad normam rubricarum.
  12. Lectiones sumi possunt sive ex toto sive ex parte vel e Missa diei vel e textibus qui in Appendice proponuntur.
- Symbolum in Missa Ordinationis non dicitur. Item, oratio fidelium omittitur.

## De Ordinatione Episcoporum

13. Dicto Evangelio, incipit Ordinatio Episcoporum. Omnibus stantibus, canitur hymnus *Veni, Creátor Spiritus*, vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines.

14. Consecrator principalis et Episcopi consecrantes accedunt ad sedes pro Ordinatione paratas, et sedent cum mitra.

15. Singuli Electi a Presbyteris ipsis assistentibus adducuntur ante sedem Consecratoris principalis, cui reverentiam faciunt.

16. Unus e Presbyteris alloquitur Consecratorem principalem his verbis :

Reverendissime Pater, póstulat Ecclésia N., ut Presbýterum N.N. ad onus Episcopátus ordines. Si vero agitur de Episcopo ordinando non residentiali :

Reverendissime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia Cathólica, ut Presbýterum N.N. ad onus Episcopátus ordines.

Consecrator principalis illum interrogat, dicens :

Habétis mandátum Apostólicum ?

Ille respondet :

Habémus.

Consecrator principalis :

Legátur.

17. Tunc legitur mandatum, omnibus sedentibus. Quo perlecto, omnes dicunt :

Deo grátias,  
vel alio modo, iuxta morem regionis, electioni assentiunt.

18. Lectis mandatis Apostolicis uniuscuiusque Electi, Consecrator principalis, omnibus sedentibus, breviter alloquitur clerum ac populum necnon Electos de munere Episcopi ; quod facere potest bis verbis :

Dilectissimi, sédulo atténdite, ad qualem in Ecclésia gradum fratres nostri sint provehéndi. Dóminus noster Iesus Christus, a Patre missus, ut genus humánum redímeret, ipse in mundum duódecim misit Apóstolos qui, Spíritus Sancti virtúte repléti, Evangélium prædicárent et omnes gentes in unum ovíle congregántes, sanctificárent et gubernárent. Ut autem hoc munus usque ad finem sáeculi permanéret, Apóstoli sibi adiutóres elegérunt, quibus donum Spíritus Sancti a Christo accéptum per impositionem mánuum tradidérunt, qua Ordinis sacraménti plenitúdo confératur. Sic a generatióne in generatióne principiális traditio per successiónem Episcopórum contínuam serváta est et opus Salvatóris ad nostra usque témpora perseverat et crescit.

In Episcopo a Presbýteris suis circúmdato adest in médio vestri ipse Dóminus noster Iesus Christus, Póntifex factus in ætérnum. Ipse enim in ministério Episcopi Evangélium prædicáre et credéntibus mystéria fidei ministráre non désinit. Ipse patérno Episcopi múnere nova membra córpori suo addit et ággregat. Ipse Episcopi sapiéntia et prudéntia vos in peregrinatióne terréna ad beatitúdinem perdúcit ætérnam.

Grato ígitur lætóque ánimo fratres nostros excípíte, quos nos, Episcopi, per impositionem mánuum in collégium nostrum cooptámus. Illos honoráte ut ministros Christi et dispensatóres mysteriórum Dei, quibus testificátio Evangélii veritátis concréditur atque ministrátio spíritus et iustítiæ. Mementóte verbórum Christi dicéntis Apóstolis : « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit ».

Vos autem, fratres caríssimi, elécti a Dómino, cogitáte vos ex homínibus esse assúptos et pro homínibus constitútos in iis quæ sunt ad Deum. Episcopátus enim nomen est óperis, non honóris, et Episcopum magis prodésse quam præesse opórtet. Nam qui maior est, secúndum Magístri præcéptum, sit ut minor, et qui præcésor est, sicut ministrátor. Prædicáte oportúne, importúne,

increpáte in omni paciéntia et doctrína. In oratióne et sacrificio pro pópulo vobis commísso, de plenitúdine sanctitátis Christi multifórmem grátiam abundánte studeátis impetráre.

In Ecclésia vobis crédita, mysteriórum Christi dispensatóres, moderatóres et custódes estóte fidéles. Elécti a Patre ad eius gubernándam famíliam, mémores estóte semper boni Pastóris, qui oves suas cognóscit et quem oves cognóscunt, et qui ánimam pónere pro óvibus suis non dubitávit.

Univérsos, quos Deus vobis commíttit, patérna atque fratérna dilígite caritáte, imprímis Presbíteros et Diáconos, vestros in ministério Christi consórtes, sed et páuperes et débiles, peregrínos et ádvenas. Hortámini fidéles ut in ópere apostólico vobíscum labórent, eósque libénte audíre ne renuátis. De illis autem, qui nondum uni Christi ovíli sunt aggregáti, curam habeátis indeféssam, tamquam vobis in Dómino commendátis. In Ecclésia cathólica, caritátis vínculo adunáta, numquam obliviscámini vos collégio Episcopórum esse coniúctos, ita ut ómnium Ecclesiárum sollicitúdinem ferre non desinátis et Ecclésiis auxilió egéntibus libénte subveniátis. Atténdite ígitur univérso gregi in quo Spíritus Sanctus vos ponit régere Dei Ecclésiám, in nómine Patris, cuius in Ecclésia imáginem repræsentátis, et in nómine Fílii eius Iesu Christi, cuius múnere Doctóris, Sacerdotís et Pastóris fungémini, et in nómine Spíritus Sancti, qui Ecclésiám Christi vivíficat et infirmitátem nostram sua virtúte confirmat.

19. Post allocutionem, Electi surgunt et stant ante Consecratorem principalem, qui illos, omnes simul, interrogat his verbis :

Antíqua sanctorum Patrum institútio præcipit, ut, qui Episcopus ordinándus est, coram pópulo interrogétur de propósito fidei servándæ et múnere exsequéndi.

Vultis ergo, fratres caríssimi, munus nobis ab Apóstolis créditum et vobis per impositionem mánuum nostrárum tradéndum cum grátia Spíritus Sancti usque ad mortem explére ?

Electi omnes simul respondent :

Volo.

Consecrator principalis:

Vultis Evangélium Christi fidéliter et indesinéte prædicáre ?

Electi :

Volo.

Consecrator principalis:

Vultis depósitum fidei, secúndum traditióne inde ab Apóstolis in Ecclésia semper et ubíque servátam, purum et integrum custodíre ?

Electi:

Volo.

Consecrator principalis :

Vultis corpus Christi, Ecclésiám eius, ædificáre et in eius unitáte cum órde Episcopórum, sub auctoritáte successóris beáti Petri Apóstoli, permanére ?

Electi :

Volo.

Consecrator principalis :

Vultis beáti Petri Apóstoli successóri obædiéntiam fidéliter exhibére ?

Electi :

Volo.

Consecrator principalis :

Vultis plebem Dei sanctam, cum comministris vestris Presbýteris et Diáconis, ut pii patres, fovére et in viam salutis dirígere ?

Electi:

Volo.

Consecrator principalis :

Vultis paupéribus et peregrínis omnibúsque indigéntibus propter nomen Dómini affábiles et misericórdes vos præbére ?

Electi :

Volo.

Consecrator principalis:

Vultis oves errántes ut boni pastóres requirere et ovíli domínico aggregáre ?

Electi :

Volo.

Consecrator principalis:

Vultis Deum omnipoténtem pro pópulo sancto indesinéter oráre et sine reprehensióne summi sacerdotií munus explére ?

Electi:

Volo, Deo auxiliánte.

Consecrator principalis:

Qui cœpit in vobis opus bonum, Deus, ipse perficiat.

20. Deinde omnes surgunt. Consecrator principalis, stans sine mitra, manibus iunctis, versus ad populum dicit (pro cantu, cfr. pag. 67, mutato tamen numero singulari) :

Orémus, dilectíssimi nobis, ut his Eléctis, utilitati Ecclésiæ próvidens, benígnitas omnipoténtis Dei grátia suæ tríbuat largitátem.

Diaconus :

Flectámus génuá.

21. Et mox Consecrator principalis et Episcopi consecrantes ante sedes suas genua flectunt ; Electi vero procumbunt ; ceteri autem genua flectunt. Tunc cantores incipiunt litanias (pag. 67 ; ultimæ tamen invocationes dicuntur numero plurali).

22. Litaníis expletis, solus Consecrator principalis surgit et, manibus iunctis, dicit (pro cantu, cfr. pag. 69, mutato tamen numero singulari) :

Propitiáre, Dómine, supplicatióibus nostris, et, inclináto super hos fámulos tuos cornu grátia sacerdotális, benedictiósni tuæ in eos effúnde virtútem. Per Christum Dóminum nostrum.

Omnes :

Amen.

Postea Diaconus dicit:

Leváte.

23. Omnes surgunt ; Consecrator principalis et Episcopi consecrantes stant ante sedes suas, versi ad populum. Electi surgunt, et ad Consecratorem principalem accedunt et ante eum genua flectunt.

24. Consecrator principalis imponit manus super caput uniuscuiusque Electi, nihil dicens. Similiter faciunt post eum et ceteri Episcopi.

25. Deinde Consecrator principalis imponit librum Evangeliorum apertum super caput singulorum Electorum ; duo Diaconi, a dexteris et sinistris uniuscuiusque Electi stantes, tenent librum Evangeliorum supra caput ipsius usquedum oratio Consecrationis finiatur.

26. Tunc Consecrator principalis, extensis manibus, dicit (pro cantu, cfr. pag. 70, mutato tamen numero singulari) orationem Consecrationis :

Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui in excélsis hábitas et humília réspicis, qui cognóscis ómnia ántequam nascántur, tu qui dedísti in Ecclésia tua normas per verbum grátiae tuæ, qui prædestinásti ex princípío genus iustórum ab Abraham, qui constituísti príncipes et sacerdótes, et sanctuárium tuum sine ministério non dereliquísti, cui ab inítio mundi plácuít in his quos elegísti glorificári :

Sequens pars orationis ab omnibus Episcopis consecrantibus profertur, manibus iunctis :

Et nunc effúnde super hos Eléctos eam virtútem, quæ a te est, Spíritum principálem, quem dedísti dilécto Fílio tuo Iesu Christo, quem ipse donávit sanctis Apóstolis, qui constituérunt Ecclésiám per síngula loca ut sanctuárium tuum, in glóriam et laudem indéficiéntem nóminis tui.

Prosequitur solus Consecrator principalis:

Da, córdium cógnitor Pater, his servis tuis, quos elegísti ad Episcopátum, ut pascant gregem sanctum tuum, et summum sacerdotium tibi exhibeant sine reprehensióne, serviéntes tibi nocte et die, ut incessánte vultum tuum propítium reddant et ófferant dona sanctæ Ecclésiæ tuæ ; da ut virtúte Spíritus summi sacerdotii hábeant potestátem dimitténdi peccáta secúndum mandatum tuum ; ut distríbuant múnera secúndum præcéptum tuum et solvant omne vínculum secúndum potestátem quam dedísti Apóstolis ; pláceant tibi in mansuetúdone et mundo corde, offeréntes tibi odórem suavitátis, per Fílium tuum Iesum Christum, per quem tibi glória et poténtia et honor, cum Spíritu Sancto in sancta Ecclésia et nunc et in sæcula sæculórum.

Omnes :

Amen.

27. Finita oratione Consecrationis, Diaconi resumunt librum Evangeliorum, quem tenebant supra caput uniuscuiusque Ordinati, et unus Diaconorum librum tenet usquedum tradatur Ordinatio. Consecrator principalis et Episcopi consecrantes sedent cum mitra.

28. Consecrator principalis sumit gremiale linteum et sancto chrismate inungit caput uniuscuiusque Ordinati coram se genuflexi, dicens :

Deus, qui summi Christi sacerdotii partícipem te effécit, ipse te mýsticæ delibutiónis liquóre perfúndat, et spirituális benedictiόnis ubertáte fecúndet.

Deinde Consecrator principalis lavat manus.

29. Consecrator principalis tradit unicuique Ordinatio librum Evangeliorum, dicens :

Accipe Evangélium et verbum Dei prædica in omni paciéntia et doctrína.

Postea Diaconus resumat librum Evangeliorum et reponit in loco suo.

30. Consecrator principalis anulum in digitum anularem dexteræ manus uniuscuiusque Ordinati immittit, dicens :

Accipe ánulum, fidei signáculum : et sponsam Dei, sanctam Ecclésiám, intemeráta fide ornátus, illibáte custódi.

31. Deinde Consecrator principalis imponit unicuique Ordinatio mitram, nihil dicens.

32. Ac tandem tradit unicuique Ordinatio baculum pastorem, dicens :

Accipe báculum, pastorális múnemis signum, et atténde univérso gregi, in quo te Spíritus Sanctus pósuit Episcopum régere Ecclésiám Dei.

33. Surgunt omnes. Si Ordinatio fit ad cathedram, et aliquis ex ordinatis est in ecclesia propria,

Consecrator principalis illum invitat, ut sedeat in cathedra ; ipse vero Consecrator principalis sedet ad dexteram Ordinati ; si vero nemo ex Ordinatis est in ecclesia propria, Ordinati invitantur a Consecratore principali, ut sedeant primi inter Episcopos concelebrantes.

Si autem Ordinatio non fit ad cathedram, Consecrator principalis deducit Ordinatam in propria ecclesia ad cathedram et alios ad loca eis parata, Episcopis consecrantibus eos sequentibus.

34. Demum Ordinati, deposito baculo, accipiunt a Consecratore principali et ab omnibus Episcopis osculum pacis.

35. Post traditionem baculi usque ad finem Ordinationis cani potest

Ant. Eúntes in mundum, allelúia, docéte omnes gentes, allelúia,

cum psalmo 95 Cantáte Dómino cánticum novum (pag. 76), vel alius cantus aptus.

De liturgia eucharistica

36. Omnia fiunt secundum Ordinem concelebrationis Missæ pontificalis, præter ea quæ sequuntur.

37. Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur *Hanc ígitur* proprium :

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offérimus etiam pro his fámulis tuis, quos ad Episcopátus órdenem promovére dignátus es, quæsumus, Dómine, ut placátus accípias, et propítius in eis tua dona custódias ; ut, quod divíno múnere consecúti sunt, divínis efféctibus exsequántur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

38. Expleta oratione post communionem, canitur hymnus *Te Deum laudámus* (pag. 128), vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines. Interim Ordinati ducuntur a Consecrantibus per ecclesiam, et omnibus benedicunt.

Finito hymno, Ordinati stant ad altare cum mitra et baculo. Ante benedictionem autem unus ex illis, præsertim si quis est in sua ecclesia, potest populum breviter alloqui.

39. Loco benedictionis consuetæ, dici potest benedictio quæ sequitur.

Si unus ex *Ordinatis* est celebrans principalis, ab ipso, vel ab omnibus ordinatis una simul dicitur :

Deus, qui pópulis tuis indulgendo cónsulis et amóre domináris, da Spíritum sapiéntiæ quibus tradidísti régimen disciplínæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia æténa pastórum.

Omnes :

Amen.

Et qui díerum nostrórum númerum temporúmque mensúras maiestátis tuæ potestáte dispénsas, propítius ad humilitátis nostræ réspice servitútem et pacis tuæ abundántiam tempóribus nostris præténde perféctam.

Omnes :

Amen.

Collátis quoque in nobis per grátiam tuam propitiáre munéribus, et quos fecísti gradu episcopáli sublimes, fac óperum perfectióne tibi placéntes atque in eum afféctum dírige cor plebis et præsulis, ut nec pastóri obœdiéntia gregis nec gregi desit umquam cura pastóris.

Omnes :

Amen.

Et statim addere potest :

Et benedíctio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti, descéndat super vos et máneat semper.

Omnes:

Amen.



Si Consecrator principalis præsidet liturgiæ eucharisticæ, dicit :

Benedícat vobis Dóminus custodiénsque vos, sicut vos vóluit super pópulum suum constituere pontífices, ita in præsentí sæculo felices et æternæ felicitátis fáciat vos esse consórtes.

Omnes :

Amen.

Clerum ac pópulum, quem sua vóluit opitulatióne congregári, sua dispensatióne et vestra administratióne per diutúrna témpora fáciat felíciter gubernári.

Omnes :

Amen.

Quátenus divínis mónitis paréntes, adversitatibus caréntes, bonis ómnibus exuberántes, vestro ministério fide obsequéntes et in præsentí sæculo pacis tranquillitáte fruántur et vobíscum æternórum cívium consórtio potíri mereántur.

Omnes :

Amen.

Et statim addere potest :

Et benedictio Dei omnipoténtis, Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti, descéndat super vos et máneat semper.

Omnes :

Amen.

40. Data benedictione, omnes processionaliter per ecclesiam revertuntur in sacristiam ; et recedunt in pace.

# DE ORDINATIONE EPISCOPI uni tantum conferenda

## Prænotanda

1. Ordinatio Episcopi fiat cum fidelium quam maxima frequentia die dominico vel festo, nisi rationes pastorales alium diem, ex. gr. festum Apostolorum, suadeant.
2. Episcopus Consecrator principalis debet saltem alios duos Episcopos consecrantes adhibere ; sed decet ut omnes Episcopi præsentés una cum Consecratore principali Electum ordinent.
3. Electo assistant duo Presbyteri.
4. Valde convenit ut omnes Episcopi consecrantes necnon Presbyteri Electo assistentes cum Consecratore principali et cum Electo Missam concelebrant. Si ordinatio fit in ecclesia propria Electi, etiam aliqui Presbyteri eius Presbyterii concelebrant.
5. Si ordinatio fit in ecclesia propria Electi, Consecrator principalis Episcopum modo ordinatum invitare potest ut præsideat concelebrationi in liturgia eucharistica. Si autem ordinatio non fit in ecclesia Electi, Consecrator principalis præsidet concelebrationi ; hoc in casu Episcopus modo ordinatus primum locum tenet inter ceteros concelebrantes.
6. Consecrator principalis necnon Episcopi et Presbyteri concelebrantes sacras vestes induunt quæ ad Missæ celebrationem requiruntur. Electus induit omnia paramenta sacerdotalia necnon crucem pectoralem et dalmaticam. Episcopi autem consecrantes, qui non concelebrant, sumunt rochetum, amictum, crucem pectoralem, stolam, pluviale et mitram. Presbyteri Electo assistentes, si non concelebrant, induunt pluviale.
7. Benedictio anuli, baculi pastoralis et mitræ, tempore opportuno, ante ipsam ordinationem, de more peragitur.
8. Præter ea quæ ad Missæ pontificalis concelebrationem necessaria sunt, parentur : a) Pontificale Romanum ; b) libelli orationis Consecrationis pro Episcopis consecrantibus ; c) gremiale linteum ; d) sanctum chrisma ; e) anulus, baculus pastoralis et mitra pro Electo.
9. Sedes pro Consecratore principali, Episcopis consecrantibus, Electo, Presbyteris concelebrantibus parentur hoc modo ;
  - a) In liturgia verbi Consecrator principalis sedeat in cathedra ; Episcopi autem consecrantes iuxta cathedram ; Electus vero inter Presbyteros sibi assistentes, loco aptiore in presbyterio.
  - b) Ordinatio Electi fiat de more ad cathedram ; si autem propter participationem fidelium opus est, parentur sedes pro Consecratore principali et Episcopis consecrantibus ante altare vel alio opportuniore loco ; sedes autem pro Electo et Presbyteris ei assistentibus sic parentur, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici queat.

## De liturgia verbi

10. Omnibus rite dispositis, ordinatur processio per ecclesiam ad altare modo consueto. Subdiaconum librum Evangeliorum deferentem sequuntur Presbyteri concelebrantes, deinde Electus medius inter Presbyteros sibi assistentes, postea Episcopi consecrantes ac denique Episcopus Consecrator principalis medius inter duos Diaconos.
  11. Liturgia verbi peragitur ad normam rubricarum.
  12. Lectiones sumi possunt sive ex toto sive ex parte vel e Missa diei vel e textibus qui in Appendice proponuntur.
- Symbolum in Missa Ordinationis non dicitur. Item, oratio fidelium omittitur.

## De Ordinatione Episcopi

13. Dicto Evangelio, incipit Ordinatio Episcopi. Omnibus stantibus, canitur hymnus *Veni, Creátor Spíritus*, vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines.

14. Consecrator principalis et Episcopi consecrantes accedunt ad sedes pro Ordinatione Electi paratas, et sedent cum mitra.

15. Electus a Presbyteris ipsi assistentibus adducitur ante sedem Consecratoris principalis, cui reverentiam facit.

16. Unus e Presbyteris alloquitur Consecratorem principalem his verbis :

Reverendíssime Pater, póstulat Ecclésia N., ut Presbýterum N. N. ad onus Episcopátus ordines. Si vero agitur de Episcopo ordinando non residentiali :

Reverendíssime Pater, póstulat sancta Mater Ecclésia Cathólica, ut Presbýterum N. N. ad onus Episcopátus ordines.

Consecrator principalis illum interrogat, dicens :

Habétis mandátum Apostólicum ?

Ille respondet:

Habémus.

Consecrator principalis :

Legátur.

17. Tunc legitur mandatum, omnibus sedentibus. Quo perlecto, omnes dicunt :

Deo grátias,  
vel alio modo, iuxta morem regionis, electioni assentiunt.

18. Deinde Consecrator principalis, omnibus sedentibus, breviter alloquitur clerum ac populum necnon Electum de munere Episcopi ; quod facere potest his verbis :

Dilectíssimi, sédulo atténdite, ad qualem in Ecclésia gradum frater noster sit provehéndus. Dóminus noster Iesus Christus, a Patre missus, ut genus humánum redímeret, ipse in mundum duódecim misit Apóstolos qui, Spíritus Sancti virtúte repléti, Evangélium prædicárent et omnes gentes in unum ovíle congregántes, sanctificárent et gubernárent. Ut autem hoc munus usque ad finem sáeculi permanéret, Apóstoli sibi adiutóres elegérunt, quibus donum Spíritus Sancti a Christo accéptum per impositionem mánuum tradidérunt, qua Ordinis sacraménti plenitúdo confératur. Sic a generatióne in generatióne principális tradítio per successiónem Episcopórum contínuam serváta est et opus Salvatóris ad nostra usque témpora perseverát et crescit.

In Episcopo a Presbýteris suis circúmdato adest in médio vestri ipse Dóminus noster Iesus Christus, Póntifex factus in ætérnum. Ipse enim in ministério Epíscopi Evangélium prædicáre et credéntibus mystéria fidei ministráre non désinit. Ipse patérno Epíscopi múnere nova membra córpori suo addit et ággregat. Ipse Epíscopi sapiéntia et prudéntia vos in peregrinatióne terréna ad beatitúdinem perdúcit ætérnam.

Grato ígitur lætóque ánimo fratrem nostrum excípíte, quem nos, Epíscopi, per impositionem mánuum in collégium nostrum cooptámus. Illum honoráte ut ministrum Christi et dispensatórem mysteriórum Dei, cui testificátió Evangélii veritátis concréditur atque ministrátio spíritus et iustítiæ. Mementóte verbórum Christi dicéntis Apóstolis: « Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit ».

Tu autem, frater caríssime, eléctus a Dómino, cógita te ex homínibus esse assúptum et pro homínibus constitútum in iis quæ sunt ad Deum. Episcopátus enim nomen est óperis, non honóris, et Episcopum magis prodésse quam præésse opórtet. Nam qui maior est, secúndum Magístri præcéptum, sit ut minor, et qui præcésor est, sicut ministrátor. Prædica oportúne, importúne,

inrepa in omni patientia et doctrina. In oratione et sacrificio pro populo tibi commisso, de plenitudine sanctitatis Christi multiformem gratiam abundanter studeas impetrare.

In Ecclesia tibi credita, mysteriorum Christi dispensator, moderator et custos esto fidelis. Electus a Patre ad eius gubernandam familiam, memor esto semper boni Pastoris, qui oves suas cognoscit et quem oves cognoscunt, et qui animam ponere pro ovibus suis non dubitavit.

Universos, quos Deus tibi committit, paterna atque fraterna dilige caritate, imprimis Presbyteros et Diaconos, tuos in ministerio Christi consortes, sed et pauperes et debiles, peregrinos et advenas. Hortare fideles ut in opere apostolico tecum laborent, eosque libenter audire ne renuas. De illis autem, qui nondum uni Christi ovili sunt aggregati, curam habeas indefessam, tamquam tibi in Domino commendatis. In Ecclesia catholica, caritatis vinculo adunata, numquam obliviscaris te collegio Episcoporum esse coniunctum, ita ut omnium Ecclesiarum sollicitudinem ferre non desinas et Ecclesiis auxilio egentibus libenter subvenias. Attende igitur universo gregi in quo Spiritus Sanctus te ponit regere Dei Ecclesiam, in nomine Patris, cuius in Ecclesia imaginem representas, et in nomine Filii eius Iesu Christi, cuius munere Doctoris, Sacerdotis et Pastoris fungeris, et in nomine Spiritus Sancti, qui Ecclesiam Christi vivificat et infirmitatem nostram sua virtute confirmat.

19. Post allocutionem, Electus surgit et stat ante Consecratorem principalem, qui illum interrogat his verbis :

Antiqua sanctorum Patrum institutio precipit, ut, qui Episcopus ordinandus est, coram populo interrogetur de proposito fidei servandae et muneris exsequendi.

Vis ergo, frater carissime, munus nobis ab Apostolis creditum et tibi per impositionem manuum nostrarum tradendum cum gratia Spiritus Sancti usque ad mortem explere ?

Electus respondet :

Volo.

Consecrator principalis :

Vis Evangelium Christi fideliter et indesinenter praedicare ?

Electus :

Volo.

Consecrator principalis :

Vis depositum fidei, secundum traditionem inde ab Apostolis in Ecclesia semper et ubique servatam, purum et integrum custodire ?

Electus :

Volo.

Consecrator principalis :

Vis corpus Christi, Ecclesiam eius, aedificare et in eius unitate cum ordine Episcoporum, sub auctoritate successoris beati Petri Apostoli, permanere ?

Electus:

Volo.

Consecrator principalis :

Vis beati Petri Apostoli successoris obedienciam fideliter exhibere ?

Electus :

Volo.

Consecrator principalis :

Vis plebem Dei sanctam, cum comministris tuis Presbýteris et Diáconis, ut pius pater, fovére et in viam salutis dirígere ?

Electus :

Volo.

Consecrator principalis :

Vis paupéribus et peregrínis omnibúsque indigéntibus propter nomen Dómini affábilem et misericórdem te præbére ?

Electus :

Volo.

Consecrator principalis :

Vis oves errántes ut bonus pastor requirere et ovíli domínico aggregáre?

Electus :

Volo.

Consecrator principalis :

Vis Deum omnipoténtem pro pópulo sancto indesinéter oráre et sine reprehénsione summi sacerdotii munus explére ?

Electus :

Volo, Deo auxiliánte.

Consecrator principalis :

Qui cœpit in te opus bonum, Deus, ipse perfíciat.

20. Deinde omnes surgunt. Consecrator principalis, stans sine mitra, manibus iunctis, versus ad populum dicit :

Orémus, dilectíssimi nobis, ut huic Elécto, utilitáti Ecclésiæ próvidens, benígnitas omnipoténtis Dei grátia suæ tríbuat largitátem.

Diaconus :

Flectámus génuá.

21. Et mox Consecrator principalis et Episcopi consecrantes ante sedes suas genua flectunt ; Electus vero procumbit ; ceteri autem genua flectunt.

Tunc cantores incipiunt Litanias, in quibus addi possunt, suis locis, aliqua nomina Sanctorum (ex. gr., Patroni, Tituli ecclesiæ, Fundatoris, Patroni eorum qui Ordinationem recipiunt, etc.) aut aliquæ invocationes magis aptæ singulis circumstantiis.

Kýrie, eléison.

Kýrie, eléison.

Christe, eléison.

Christe, eléison.

Kýrie, eléison.

Kýrie, eléison.

Sancta María, Mater Dei,

ora pro nobis.

Sancte Míchaël,

ora pro nobis.

Sancti Angeli Dei,

ora pro nobis.

Sancte Ioseph,

ora pro nobis.

Sancte Ioánnes Baptísta,

ora pro nobis.

Sancti Petre et Paule,

oráte pro nobis.

Sancte Andréa,	ora pro nobis.
Sancte Ioánnes,	ora pro nobis.
Sancta María Magdaléna,	ora pro nobis.
Sancte Stéphane,	ora pro nobis.
Sancte Lauréti,	ora pro nobis.
Sancte Ignáti Antiochéne,	ora pro nobis.
Sancta Agnes,	ora pro nobis.
Sanctæ Perpétua et Felícitas,	oráte pro nobis.
Sancte Gregóri,	ora pro nobis.
Sancte Augustíne,	ora pro nobis.
Sancte Athanási,	ora pro nobis.
Sancte Basíli,	ora pro nobis.
Sancte Martíne,	ora pro nobis.
Sancte Benedícite,	ora pro nobis.
Sancti Francísce et Domínice,	oráte pro nobis.
Sancte Francísce Xavéri,	ora pro nobis.
Sancte Ioánnes María Vianney,	ora pro nobis.
Sancta Therésia,	ora pro nobis.
Sancta Catharína Senénsis,	ora pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei,	oráte pro nobis.
Propítius esto,	líbera nos, Dómine,
Ab omni malo,	líbera nos, Dómine,
Ab omni peccáto,	líbera nos, Dómine,
A morte perpétua,	líbera nos, Dómine,
Per incarnatióem tuam,	líbera nos, Dómine,
Per mortem et resurrectiόem tuam,	líbera nos, Dómine,
Per effusiόem Spíritus Sancti,	líbera nos, Dómine,
Peccatóres,	te rogámus, audi nos
Ut Ecclesiám tuam sanctam régere et conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut domnum apostólicum et omnes ecclesiásticos órdenes in sancta religiόe conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut cunctis pópulis pacem et veram concórdiam donáre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre et conserváre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut hunc eléctum benedícere dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut hunc eléctum benedícere et sanctificáre dignéris,	te rogámus, audi nos
Ut hunc eléctum benedícere et sanctificáre et consecráre dignéris,	te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi,	te rogámus, audi nos
Christe, audi nos.	
Christe, audi nos.	
Christe, exáudi nos.	
Christe, exáudi nos.	

22. Litanii expletis, solus Consecrator principalis surgit et, manibus iunctis, dicit :

Propitiare, Dómine, supplicatióibus nostris, et inclináto super hunc fámulum tuum cornu grátiae sacerdotális, benedictiόνis tuæ in eum effúnde virtútem. Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Diaconus :

Leváte.

23. Omnes surgunt ; Consecrator principalis et Episcopi consecrantes stant ante sedes suas, versi ad populum. Electus surgit, ad Consecratorem principalem accedit et ante eum genua flectit.

24. Consecrator principalis imponit manus super caput Electi, nihil dicens. Similiter faciunt post eum et ceteri Episcopi.

25. Deinde Consecrator principalis imponit librum Evangeliorum apertum super caput Electi ; duo Diaconi, a dexteris et sinistris Electi stantes, tenent librum Evangeliorum supra caput ipsius usquedum oratio Consecrationis finiatur.

26. Tunc Consecrator principalis, extensis manibus, dicit orationem Consecrationis :

Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiόνis, qui in excélsis hábitas et humília réspicis, qui cognóscis ómnia ántequam nascántur, tu qui dedísti in Ecclésia tua normas per verbum grátiae tuæ, qui prædestinásti ex princípío genus iustórum ab Abraham, qui constituísti príncipes et sacerdótes, et sanctuárium tuum sine ministério non dereliquísti, cui ab inítio mundi plácuit, in his quos elegísti gloriificári :

Sequens pars orationis ab omnibus Episcopis consecrantibus profertur, manibus iunctis :

Et nunc effúnde super hunc Eléctum eam virtútem, quæ a te est, Spíritum principálem, quem dedísti dilécto Fílio tuo Iesu Christo, quem ipse donávit sanctis Apóstolis, qui constituérunt Ecclésiam per síngula loca ut sanctuárium tuum, in glóriam et laudem indeficiéntem nóminis tui.

Prosequitur solus Consecrator principalis :

Da, córdium cógnitor Pater, huic servo tuo, quem elegísti ad Episcopátum, ut pascat gregem sanctum tuum, et summum sacerdótium tibi exhibeat sine reprehensióne, sérviens tibi nocte et die, ut incessánter vultum tuum propítium reddat et ófferat dona sanctæ Ecclésiæ tuæ ; da ut virtúte Spíritus summi sacerdótii hábeat potestátem dimitténdi peccáta secúndum mandátum tuum ; ut distribuat múnera secúndum præcéptum tuum et solvat omne vínculum secúndum potestátem quam dedísti Apóstolis ; pláceat tibi in mansuetúdine et mundo corde, ófferens tibi odórem suavitátis, per Fílium tuum Iesum Christum, per quem tibi glória et poténtia et honor, cum Spíritu Sancto in sancta Ecclésia et nunc et in sæcula sæculórum.

R. Amen.

Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiόνis, qui in excélsis hábitas et humília réspicis, qui cognóscis ómnia ántequam nascántur, tu qui dedísti in Ecclésia tua normas per verbum grátiae tuæ, qui prædestinásti ex princípío genus iustórum ab Abraham, qui constituísti príncipes et sacerdótes, et sanctuárium tuum sine ministério non dereliquísti, cui ab inítio mundi plácuit in his quos elegísti glorifiári :

Sequens pars orationis ab omnibus Episcopis consecrantibus profertur, manibus iunctis :

Et nunc effúnde super hunc Eléctum eam virtútem, quæ a te est, Spíritum principálem, quem dedísti dilécto Fílio tuo Iesu Christo, quem ipse donávit sanctis Apóstolis, qui constituérunt Ecclésiam per síngula loca ut sanctuárium tuum, in glóriam et laudem indeficiéntem nóminis tui.

Prosequitur solus Consecrator principalis :

Da, córdium cógnitor Pater, huic servo tuo, quem elegísti ad Episcopátum, ut pascat gregem sanctum tuum, et summum sacerdótium tibi exhíbeat sine reprehensióne, sérviens tibi nocte et die, ut incessánte vultum tuum propítium reddat et ófferat dona sanctæ Ecclésiæ tuæ ; da ut virtúte Spíritus summi sacerdótii hábeat potestátem dimitténdi peccáta secúndum mandátum tuum ; ut distribuát múnera secúndum præcéptum tuum et solvat omne vínculum secúndum potestátem quam dedísti Apóstolis ; pláceat tibi in mansuetúdine et mundo corde, ófferens tibi odórem suavitátis, per Fílium tuum Iesum Christum, per quem tibi glória et poténtia et honor, cum Spíritu Sancto in sancta Ecclésia et nunc et in sæcula sæculórum.

Omnes :

Amen.

27. Finita oratione Consecrationis, Diaconi resumunt librum Evangeliorum, quem tenebant supra caput Ordinati, et unus Diaconorum librum tenet usquedum tradatur Ordinato. Consecrator principalis et Episcopi consecrantes sedent cum mitra.

28. Consecrator principalis sumit gremiale linteum et sancto chrismate inungit caput Ordinati coram se genuflexi, dicens :

Deus, qui summi Christi sacerdótii partícipem te effécit, ipse te mýsticæ delibutiónis liquóre perfúndat, et spirituális benedictiúnis ubertáte fecúndet.

Deinde Consecrator principalis lavat manus.

29. Consecrator principalis tradit Ordinato librum Evangeliorum, dicens :

Accipe Evangélium et verbum Dei prædica in omni paciéntia et doctrína.

Postea Diaconus resumat librum Evangeliorum et reponit in loco suo.

30. Consecrator principalis anulum in digitum anularem dexteræ manus Ordinati immitit, dicens :

Accipe ánulum, fidei signáculum : et sponsam Dei, sanctam Ecclésiám, intemeráta fide ornátus, illibáte custódi.

31. Deinde Consecrator principalis imponit Ordinato mitram, nihil dicens.

32. Ac tandem tradit Ordinato baculum pastorem, dicens :

Accipe báculum, pastorális múneris signum, et atténde univérso gregi, in quo te Spíritus Sanctus pósuit Episcopum régere Ecclésiám Dei.

33. Surgunt omnes. Si Ordinatio fit ad cathedram, Consecrator principalis Episcopum in ecclesia propria Ordinatum invitatur, ut sedeat in cathedra ; ipse vero Consecrator principalis sedet ad dexteram Ordinati, Episcopus autem extra ecclesiam propriam ordinatus invitatur a Consecratore principali, ut sedeat primus inter Episcopos concelebantes. Si autem Ordinatio non fit ad cathedram, Consecrator principalis deducit Ordinatum ad cathedram (vel ad locum ei paratum), Episcopis consecrantibus eos sequentibus.

34. Demum Ordinatus, deposito baculo, accipit a Consecratore principali et ab omnibus Episcopis osculum pacis.

35. Post traditionem baculi usque ad finem Ordinationis cani potest :

Ant. Eúntes in mundum, \* allelúia, docéte omnes gentes, allelúia. Euouae

### Psalmus 95

1. Cantáte Dómino cánticum novum : \*  
cantáte Dómino, omnis terra.

2. Cantáte Dómino et benedícite nómini eius : \*  
annuntiáte de die in diem salutáre eius.

*Repetitur antiphona, et idem fit post binos versus psalmi*

3. Annuntiáte inter gentes glóriam eius, \*  
in ómnibus pópulis mirabília eius.

4. Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis : \*  
terríbilis est super omnes deos.



Quóniam omnes dii géntium dæmónia : \*  
Dóminus autem cælos fecit.  
6. Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius : \*  
sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne eius.  
7. Afférte Dómino, pátriæ géntium, ✠  
afférte Dómino glóriam et honórem : \*  
afférte Dómino glóriam nómini eius.  
8. Tóllite hóstias, et introíte in átria eius : \*  
adoráte Dóminum in átrio sancto eius.  
9. Commoveátur a fácie eius univérsa terra : \*  
dicite in géntibus quia Dóminus regnávít.  
10. Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur : \*  
iudicábit pópulos in æquitáte.  
11. Læténtur cæli et exsúltet terra : ✠  
commoveátur mare et plenitúdo eius : \*  
gaudébunt campí, et ómnia quæ in eis sunt.  
12. Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum  
a fácie Dómini, quia venit : \*  
quóniam venit iudicáre terram.  
13. Iudicábit orbem terræ in æquitáte, \*  
et pópulos in veritáte sua.

Non dicitur *Glória Patri*. Psalmus tamen abrumpitur et repetitur antiphona, postquam omnes osculum pacis sibi dederunt.

Cani potest etiam alius cantus aptus.

De liturgia eucharistica

Omnia fiunt secundum Ordinem concelebrationis Missæ pontificalis, præter ea quæ sequuntur.

Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur *Hanc igitur* proprium :

Hanc igitur oblatiõnem servitútis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offérimus etiam pro hoc fámulo tuo, quem ad Episcopátus órđinem promovére dignátus es, quæsumus, Dómine, ut placátus accípias, et propítius in eo tua dona custódiás, ut, quod divíno múnere consecútus est, divínis efféctibus exsequátur. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

38. Expleta oratione post communionem, canitur hymnus *Te Deum laudámus* (pag. 128).

vel alius hymnus huic respondens, iuxta locorum consuetudines. Interim Ordinatus ducitur a Consecrantibus per ecclesiam, et omnibus benecit.

Finito hymno, Ordinatus, stans ad altare vel ad cathedram cum mitra et baculo, potest populum breviter alloqui.

39. Loco benedictionis consuetæ, dici potest benedictio quæ sequitur. Si *Ordinatus* est celebrans principalis, dicit :

Deus, qui pópulis tuis indulgendo cónsulis et amóre domináris, da Spíritum sapiéntiæ quibus tradidísti régimen disciplínæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia æténa pastórum.

Omnes :

Amen.

Et qui díerum nostrórum númerum temporúmque mensúras maiestátis tuæ potestáte dispénsas, propítius ad humilitátis nostræ réspice servitútem et pacis tuæ abundántiam tempóribus nostris præténde perféctam.

Omnes:

Amen.

Collátis quoque in me per grátiam tuam propitiáre munéribus et quem fecísti gradu episcopáli sublímem, fac óperum perfectiõne tibi placéntem atque in eum afféctum dírige cor plebis et præsulis, ut nec pastóri obœdiéntia gregis nec gregi desit umquam cura pastóris.

Omnes :

Amen.

Et statim addere potest :

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

Omnes :

Amen.

Si *Consecrator principalis* praesidet liturgiae eucharisticae, dicit :

Benedicat tibi Dominus custodiensque te, sicut te voluit super populum suum constituere pontificem, ita in praesenti saeculo felicem et aeternae felicitatis faciat te esse consortem.

Omnes :

Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit opitulatiōne congregari, sua dispensatiōne et tua administratiōne per diuturna tempora faciat feliciter gubernari.

Omnes

Amen.

Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fide obsequentes et in praesenti saeculo pacis tranquillitate fruuntur et tecum aeternorum civium consortio potiri mereantur.

Omnes:

Amen.

Et statim addere potest :

Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.

Omnes :

Amen.

40. Data benedictione, omnes processionaliter per ecclesiam revertuntur in sacristiam ; et recedunt in pace.